

ma rubrica sui operis, 3. column. in princip.

Ex quo inferitur, quod illa lex non haberet locum quando sola possessio naturalis vacaret, quia dominus vel possessor primus retineret possessionem civilem in absentia: quia hoc casu competere domino vel possessori interdictum *uti possidetis* pro tuenda sua civili possessione, in cuius consequentiam fieret sibi restitutio naturalis, ut late conclusum est in interdicto *uti possidetis*. Unde non competere ei remedium *dict. leg. fin.* & hoc est de mente Glos. *ibi in verb. Vacuam*, versic. *Tu dic.* Pro qua doctrina & declaratione facit Gloss. singularis & unica in §. *Quod autem*, *Instit. de Usucap. in gloss. 2.* quæ dicit, quod possessio interdum dicitur plena, ut est illa quæ plenè possidetur; interdum semiplena, ut est illa in qua aliàs ex causa legatorum, vel rei servandæ; interdum vacua, & hoc contingit tribus modis, propter absentiam, vel propter negligentiam, vel quia sine successore quis decedat: quam ibi sequuntur DD. & illam Glos. dicit unicam Angel. *in leg. Si me in vacuam de Acquirend. posses.* & Alexand. & Jas. *in leg. In conventionalibus*, §. 1. *de Verbor. obligation.*

Secundò inferitur, quod non haberet locum quando quis in absentia retinet utramque possessionem, mediante servo, filio, colono, vel inquilino: quia tali casu daretur interdictum *unde vi* ipsi absenti, vel ipsis expulsis competere interdictum *unde vi*, nomine possessionis absentis, ut supra dictum est, per text. *in leg. 1. cum materia*, *Cod. Si per vim vel alio mod.* In quo unum notandum est, quod hoc casu, quando absens relinquit domum, fundum, vel rem vacantem, & alius ingressus est & possessionem occupavit; quod non poterit aliquis pro absente agere interdicto *unde vi*, vel conditione *leg. fin. Cod. Unde vi*, nec alio quovis remedio possessorio; sed oportet quod ipse absens reversus, vel ejus procurator agat competenti remedio, scilicet remedio *leg. fin. Cod. Unde vi*, quia imputandum est ei, qui vacantem rem reliquit: licet eo casu quo absens possideret per colonum, inquilinum, servum, vel amicum quem ibi dimiserit, si quis ingressus sit, potest agi contra eum per eos quos ibi dimittit, imò per quemlibet extraneum sine mandato, ut *in dict. leg. 1. Si per vim vel alio modo*, quia magis favendum est ei qui possessionem suam per alium voluit conservare.

189 Item adde, quod prædicta lex *fin. Cod. Unde vi*, habet locum & procedit tam in re mobili, quam immobili: ita Jacob. Butr. *in dict. leg. fin. 1. column. in fin.* Bart. *2. column. num. 7.* Salyc. *2. column. num. 10.* Rofred. *in Rubr. de Constit. cum quarebatur*, 6. column. num. 5. Alexand.

ubi dicit hanc esse communem opinionem, *in leg. Rem qua nobis. ff. de Acquir. posses. 2. col. n. 5.* Jas. *ibi*, 2. column. *in fin. num. 4.* licet Gloss. *in dict. leg. fin. C. Unde vi*, in verb. *Quod vi aut clam*, velit contrarium. Unum tamen est, quod licet agenti remedio possessorio recuperanda, non obstat exceptio domini, licet veniat in continenti probanda; tamen secus est in agente remedio & conditione prædictæ legis *fin. C. Unde vi*, pro possessione clandestina; quia ei bene obstat exceptio domini: ita probat text. unicus in iure *in leg. Si de eo*, §. *fin. ff. de Acquirend. posses.* & illum text. ad hoc dicit unicum Bald. *in leg. Vicia*, *Cod. de Acquir. posses. 1. column. num. 6.* idem Bald. *in leg. Si quis emptionis. §. Sed hæc contra super illis*, *Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor.* & ibi Angel. *in princip. leg. 2. column. num. 4.* & istam conclus. tenet Bart. licet non alleget illum text. *in leg. Si de vi. ff. de Judic. in fin. num. 3.* & ibi Paul. 5. column. *in princip. versic. Primus est*, Gloss. ordinaria *in dict. leg. in verb. Per ignorantiam*, *in fin. Cod. Unde vi*; & ibi Bart. *penult. column. num. 11.* ubi adducit notabilem rationem: quia cum possessio vacabat, non reputatur tam grave delictum. Item etiam, quia remedium illius legis habetur instar adipiscendæ possessionis, cum omnino vacabat, & sua culpa possessionem amiserat: idem etiam tenet ibi Angel. 2. col. *in fin.* Salyc. 3. column. n. 15. & ista est communis opinio DD. licet inadvertenter contrarium teneat Jas. *in leg. Clam possidere supra*, *isto titul. 2. column. numer. 5.* allegando Anton. de But. *in cap. Item cum quis de Restit. spol.*

Item adde, quod licet ille, qui occupavit rem vacantem, teneatur eam restituere tanquam prædo ad istar interdicti *unde vi*, conditione prædictæ legis *fin. Cod. Unde vi*, tamen res illa non afficitur vitio reali: unde licet eo casu quo intervenisset vera & realis violentia, talis res violenter possessa non posset præscribi, ut *in leg. Certe. §. Julianus. ff. de Precario*, & supra dictum est; tamen secus est in hac possessione clandestina in re vacante acquisita; quia bene potest præscribi per quemlibet bonæ fidei possessorem: ita notabiliter probat text. *in leg. Furtum. §. Fundi. ff. de Usucap.* & ibi Bart. & communiter DD. *in leg. Sequitur. §. Item si occupaveris. eod. titul.* Gloss. ordinaria *in leg. Pomponius. §. Cum quis*, in verb. *Vitiis. ff. de Acquir. posses.* & ibi Bartol. & communis opinio Gloss. *in leg. Vicia*, *Cod. de Acquirend. possession.* & ibi Bald. Angel. Salyc. & communiter DD. Gloss. *in dict. leg. fin. Cod. Unde vi*, in verb. *Ut prædonem*, & ibi communis opinio: probat etiam text. *in §. Quod*

autem, *Instit. de Usucap.* & ibi Faber. *in fin.* & communis opinio, licet ibi Glossa velit contrarium: estam etiam opinionem tenet Jas. ubi dicit hanc esse communem opinionem, *in leg. Clam possidere*, 2. col. n. 3. *ff. de Acquir. posses.*
190 Item adde, quod quando quis vult possessorem à sua possessione expellere, potest talis possessor ei de facto resistere, quia licite videtur facere pro defensione suæ possessionis: Imò, si jam dejectus & expulsus sit, potest propria autoritate recuperare, dummodò faciat in continenti, non ex intervallo; text. est *in leg. 3. §. Eum igitur. ff. de Vi, & vi armat.* cujus verba sunt: *Eum igitur qui cum armis venit possessorem armis repellere, sed hoc confestim non ex intervallo, dummodo sciamus non solum resistere permissum, ne deiciatur, sed & si dejectus quis fuerit eundem deicere non ex intervallo, sed in continenti & ad hoc eum notat ibi Glos. ordinaria* Bart. Ang. & communiter DD. text. *in leg. 2. §. Vim vi eod. titul.* text. *in leg. 1. Cod. Unde vi.* Et adde, quod intelligitur in continenti & non ex intervallo, quando recuperat suam possessionem quam primum potest, antequam ad actus extraneos divertat: ita Gloss. ordinaria, *in dict. §. Eum igitur*, argumento text. *in leg. Continuus in princip. ff. de Verborum obligationib.* text. *in leg. duos. §. 1. ff. de Duobus rebus*, text. *in leg. Quod ait. §. Quod ait. ff. de Adulter.* text. *in leg. Hæredes palam. §. fin. ff. de Testament.* Sed clariùs & propriùs dic, quod in materia nostra *incontinenti* dicitur, arbitrio boni viri, secundum quod commodè fieri potest, attenta qualitate ejus qui vi dejectus est, & rei ex qua fuit expulsus, & ejus qui vim commisit: ita Bartol. *in dict. §. Eum igitur*, & ibi notat Angel. qui valde commendat Petr. *in leg. 1. Cod. Unde vi 1. column. post princip. Cin. ibi, penultim. column.* Jacob. Butr. *fin. column.* Faber. 2. column. Salyc. 1. column. num. 4. & meliùs 2. column. numer. 10. Aretin. *in leg. 1. §. Qui præsens. ff. de Verborum obligation.* 2. column. *in fin.* Ex quo singulariter inferitur, quod si Rex, & Princeps, vel Dux per vim expellat possessorem de aliquo territorio, castro, vel loco suo, licitum est ei quandocumque propria autoritate recuperare, etiam post decennium: istud fuit dictum originale & famosum Hugution. *in cap. Jus naturale*, 1. distinct. *in glossa sua antiqua:* & sequitur & commendat Bald. *in leg. fin. Cod. de His qui à non domino manum*, 2. column. n. 3. illud etiam dictum sequitur & reputat mirabile Imol. *in leg. 1. §. Qui præsens. ff. de Verborum obligation.* 1. column. num. 2. Angel. de Aretin. *in §. Quadrupli, Instit. de Actionib.* 8. column. num. 29. tenet etiam & valde commendat Jas. *in leg. Clam possidere. §. Qui ad nundinas*, 7. col.

num. 36. *ff. de Acquirend. possession. Roman. in leg. Si de eo*, §. *Si forte*, 2. column. *eodem titul. Montalv. in leg. 1. titul. 11. lib. 2. For. 11.*

Et in tantum est verum, quod expulsus potest suam possessionem in continenti recuperare, ut nullam videatur amisisse possessionem, sed semper retinere saltem civilem in animo; quia sequuta recuperatione in continenti, præsumitur semper habuisse animum possidendi. Ex quo subtiliter inferitur, quod non erit interrupta præscriptio vel usucapio incepta: & in expresso ita determinat Gloss. singularis *in leg. Si quis ad se fundum*, *Cod. ad legem Juliam de vi*, *in gloss. fin.* quam ibi notat, & commendat Bartol. *fin. column. num. 5.* Salyc. *penult. column. num. 26.* & ibi communiter DD. Gloss. etiam ordinaria *in leg. 3. §. Eum igitur. ff. de Vi, & vi armat.* *in gloss. final.* & ibi Angel. & communiter DD. Gloss. etiam juncto text. *in leg. Qui possessionem*, *eodem titul.* & ibi Bartol. Angel. & alii DD. tenet etiam Bartol. & communiter DD. contra Glossam *ibi*, *in leg. Qui fundum. §. Qui bona fide*, versic. *Idem juris. ff. de Usucapion. promemptor.* Jacob. Butr. *in leg. 1. Cod. Unde vi*, *fin. column.* & ibi Bald. 3. column. num. 8. Salycet. 1. column. num. 3. Imò, quod magis est, dicebat Salycet. *in dict. leg. Si quis ad se fundum*, *Cod. ad legem Juliam de vi*, quod etiam naturalis possessio non videatur amissa, nec effectus ejus, argumento text. *in dict. leg. Qui possessione.* Sed ego intelligo, quod licet eam amiserit, tamen præsumitur & fingitur à jure non amisisse.

Advertendum tamen, quod superior conclusio procedit & habet locum quando propulsatur injuria realis: secus verò quando propulsatur injuria personalis, quia offensus ab alio vult se defendere; quia tantum est ibi permissum se defendere in ipso actu & crimine flagranti, non tamen potest injuriam sibi factam propulsare & vindictam sumere: ita probat text. *notabilis in leg. Quod lex ait. ff. de Adulter.* ubi dicitur, quod licet pater possit filiam & adulterum interficere, debet intelligi quando eos deprehendit in ipso crimine: & per eum istam sententiam & conclusionem tenet Bartol. *in dict. leg. 3. §. Eum igitur. ff. de Vi, & vi armat.* licet corruptè allegat illam legem, & ibi Angel. de Perus. Bald. *in leg. Petens*, *Cod. de Pactis*, *penultim. column. num. 49.* Bart. *in leg. 1. Cod. Unde vi pen. col. num. 9.* & ibi Cin. Alberic. Faber. Salycet. & communiter DD. Faber. *in §. Jus autem gentium*, *Instit. de Jure natura gent. & civili* 2. col. numer. 3.

Item adde, quod hoc interdictum *unde vi*, 191 nedum competit pro rebus corporalibus, sed etiam pro rebus incorporalibus: Unde si fructua-

tuarius sit dejectus á fundo in quo habet usumfructum, poterit intentare hoc interdictum directum: text. est in l. 3. §. Unde vi. ff. de Vi & vi armat. si verò sit dejectus ab alio jure & quasi possessione ejus, ut servitutis, vel alterius juris incorporalis, competit hoc interdictum saltem utile: quia in iuribus incorporalibus licet non cadat vera & propria possessio, bene tamen cadit quasi possessio respectu illius juris, ratione cuius dantur & competunt remedia possessoria: text. est in l. Quoties, la 2. ff. de Servit. & ibi Bart. & communiter DD. text. in leg. 2. §. fin. ff. Si Servit. vindicetur, textus in leg. Sicuti. §. Aristo. eodem titul. & in expresso hanc sententiam & conclusionem tenet Bartol. in leg. 3. §. Unde vi. ff. de Vi, & vi armat. & ibi Angel. de Perus. tenet etiam notabiliter & melius quam alibi Rosfred. in Libellis suis, in Rubric. de Interdicto unde vi, num. 23. Confirmatur per Gloss. notabilem & ordinariam in leg. 1. in glos. 1. ff. Uti possid. & ibi communis opinio, quæ habet quòd pro tuenda possessione iurium incorporalium habet locum interdictum uti possidetis. Confirmatur etiam, quia pro tali quasi possessione iurium incorporalium competit conditio legis, si quis in tantam, Cod. Unde vi & in expresso ita tenet ibi Gloss. ordinaria & communis opinio in gloss. magn. 2. quæst. & ratio per quam usufructuarius habet directum interdictum, alius verò qui habet aliud jus vel servitutem habet utile interdictum, est quia fructuarius possidet rem ipsam naturaliter, non verò ille qui aliud jus vel servitutem habet, ut in leg. Naturaliter. ff. de Acquirend. possessione, & ibi communiter DD. & in terminis tenet Angel. in leg. 3. §. Unde vi. ff. de Vi armat.

192 Dubium tamen singulare & subtile in materia est: Si fortè res mobilis vel immobilis, quam ego antea possidebam, reperiatur tunc penes alium, & probem eam antè possidere, an eo ipso præsumatur clandestinè vel vitiosè esse penes illum, ut teneatur mihi restituere nulla probata violentia, clandestinitate, vel vitio possessionis ejus? Et videtur quòd sic. Primò per text. singularem in leg. fin. Cod. Unde vi, ubi probatur, quòd talis possessio præsumitur clandestina: & sic erit notabilis practica, quòd agam conditione ex illa leg. asserendo me dominum, & quòd possedi antea & immediatè illam rem, & quòd nunc reperitur penes illum sine iusta causa, quare peto mihi fieri restitutionem; & in expresso ita tenet Bart. in dict. leg. fin. 2. column. num. 3. Paul. de Castr. in leg. Improba, Cod. de Acquir. posses. idem Paul. in leg. Cum res, Cod. de Probationib. fin. column. idem Paul. ubi valde commendat in l. Si ex stipula-

tionem. ff. de Acquir. poss. 2. col. n. 3. & ante eos Specul. in tit. de Restit. spoliat. §. 1. 5. column. versic. Octavum est, num. 19. Confirmatur etiam per textum cum materia in cap. Licet causam de probation. & per ea quæ tradit Bartol. in leg. Si duo. ff. Uti possid. 2. column. vers. Si verò testes. Secundò & principaliter pro ista sententia & conclusione facit text. in c. Reintegranda, 3. caus. 3. q. 1. ubi disponitur, quòd semper & regulariter est restituendus, ille qui injustè amisit suam possessionem: unde in nostro casu secunda possessio illius præsumitur injusta & vitiosa, & meritò debet fieri restitutio anteriori possessoris & per illum textum ita tenet Innocent. in cap. Sapè de restit. spoliat. 1. column. vers. Imo plus, & ibi Hostiens. 2. column. Joan. Andr. 2. column. versic. Plus etiam, Abbas, qui valde commendat, in cap. Cum ad sedem, eodem titul. 9. col. num. 28. idem Abb. in cap. Si diligenti, de præscript. 4. column. num. 17. Bald. in leg. penult. Cod. Si à non compet. jud. fin. col. ubi dicit, quòd eo ipso, quòd actor probet de antiquiore possessione, re ipsa videtur spoliatus: Jas. qui bene loquitur in l. Rem quæ nobis. ff. de Acquirend. poss. 4. col. n. 19. & ibi Socin. 9. col. versic. Aliquando, & 13. column. versic. Circa 7. quæst. Tertiò & principaliter pro hac sententia & conclusione facit text. in l. Si coloni, Cod. de Agric. & censib. lib. 11. ubi habetur, quòd si coloni adscriptitii à domino vel possessore aufugerint, & reperiantur apud alios quoslibet possessores vel detentatores, de bent restitui priori domino vel possessori conditione ex illa l. vel iudicis officio: & per eam tenet Hostiens. in dict. cap. Sapè de Restit. spoliat. 2. column. & ibi Joan. Andr. 2. column.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò quòd in casu & quæstione proposita non debet fieri restitutio possessionis anteriori possessori, si non probet violentiam, clandestinitatem, vel aliud vitium in persona secundi possessoris: imò genericè dico, quòd hoc casu nullum remedium in jure nostro proditum est pro consequenda tali possessione, sed necessario recurrendum est ad remedia proprietatis, scilicet, rei vindicationem, Publicianam confessoriam, vel similia. Imò aliàs illa remedia numquam essent necessaria. Quod apertè probatur á sufficienti partium enumeratione: nam hoc casu non concurrunt requisita interdicta adipiscenda; item nec retinenda; item nec recuperanda, ut ex natura eorum satis ex superioribus patet: ergo, &c. Secundò etiam pro hac sententia & conclusione, quam teneo, facit bonus text. & ejus ratio, in leg. Sin autem. §. Si duobus, cum materia. ff. de Publiciana, & in leg. Si ea res. §. fin. ff. de Action. empr. ubi quando agi-

agitur pro quasi dominio actione reali Publiciana, potior est causa actualiter ultimo loco possidentis: & ex ista consideratione istam sententiam & conclusionem tenet expressè Bartol. in leg. Rem quæ nobis. ff. de Acquirend. poss. 1. col. n. 2. & ibi Cuman. 2. column. Alexand. 2. col. idem Bartol. in leg. fin. §. Sed cum in secundam, Cod. de Furtis, 2. column. numer. 5. Angel. in dict. leg. Sin autem. §. Si duobus. ff. de Publicia, 2. column.

Et tenendo hanc partem quam teneo, non obstant superiora fundamenta, quæ inevitabiliter videntur contrariam sententiam fundare. Et primò non obstat text. in dict. leg. fin. Codic. Unde vi, inducendo, ut supra: Quia respondeo, quòd ad hoc ut remedium illius legis habeat locum, pro forma requiritur ut probetur, quòd possessio illius rei erat penes primum possessorem actorem, & postea ejus absentia vel alia causa cepit vacare, & statim & immediatè tempore quo vacabat fuit per illum secundum possessorem, & sic reum conventum occupata: & certè ista est qualitas formalis, in qua fundatur decisio illius text. & est verissimus & realis intellectus ejus: & in expresso reperio quòd ita illum text. intelligit & declarat, ibi uno verbo, Joan. Faber. in Breviar. 1. column. in fin. dicens cave, quia in hac constitutione requiritur dolo; qui præsumitur, probato quòd fuit occupata tempore quo esset vacans: & apertè hoc idem vult ibi Salycet. fin. col. & quæst. Rosfred. in Libellis suis, in Rubric. de Constitut. Cum quærebatur, fin. column. & quæst. num. 16. Innocent. in cap. Sapè de Restit. spoliat. 1. col. post princip. Hostiens. ibi, 1. column. prope finem. Joann. Andr. 2. column. post princip. Abb. fin. column. in princip. Anton. 3. column. in med. ita etiam in expresso tenet & declarat Bald. in leg. Incerti juris, Cod. de Interdictis, 6. column. n. 14. (b)

Secundò non obstat text. in dict. cap. Reintegranda, caus. 3. quæst. 1. Quia loquitur & debet intelligi, quando possessor amisit possessionem vi, dolo, metu, vel alio quovis vitio vel delicto: unde meritò restituendus est, & reducendus in pristinum statum suis propriis remediis contra spoliatorem: putá si vi est spoliatus, interdicto unde vi: si dolo, actione de dolo: si metu, actione quod metus causa: & sic de aliis: & sic nullum remedium possessorium de

per se ponit ille text. ita Innocent. in cap. Cum ad sedem 2. column. num. 6. de Restit. spoliat. Vel aliter & secundò respondeo, quòd ille text. intelligitur quando quis amisit possessionem vi, dolo, metu, vel alio vitio, & reperitur res penes tertium possessorem: nam tenetur remedio illius Canonis restituere possessionem, etiam si ignoranter & bona fide rem possideat, nec fuerit particeps vel sciens hujus vitii, licet de jure antiquo civili nec Canonico ante illum text. nullum esset proditum remedium: istum intellectum tenet Gloss. ordinaria in dict. cap. Sapè in gloss. 3. de Restit. spoliat. & ibi communiter DD. Gloss. in cap. Cum ad sedem eodem tit. in gloss. magn. in med. & in specie istam dicit communem opinionem & intellectum Imol. in dict. cap. Sapè final. column. num. 4. Abb. in dict. cap. Cum ad sedem 8. column. num. 26. qui dicit, quòd ab isto communi intellectu non est recedendum in iudicando & consulendo. Nec obstat si replices, quòd si hoc esset verum, ad quid fuit necessaria decisio text. in dict. cap. Sapè de Restit. spoliat. cum sit posterior, maximè, cum text. & ejus remedium in cap. Reintegranda, generaliter & indistinctè competit contra quemlibet tertium possessorem, etiam si ignoranter & bona fide rem possideat; text. verò & ejus remedium in dict. cap. Sapè, tantum detur & competat quando scienter habuit rem á violento possessore, & sic scienter successit in vitium? Quia notabiliter respondeo, quòd text. in dict. capit. Reintegranda, tantum procedit & debet servari in rebus Ecclesiasticis, vel in rebus Clericorum & in eorum foro, propter eorum privilegium; non verò in aliis rebus profanis laicorum: text. verò in cap. Sapè, & ejus remedium procedit in quibuscumque rebus & personis, & utroque foro, propter evitandum peccatum; cum scienter habeat rem á violento possessore: ita Gloss. notabilis ordinaria in dict. cap. Cum ad sedem in glos. magn. in med. & ibi Abb. 8. col. n. 26. Cald. in dict. cap. Sapè. Card. fin. column. Anchar. fin. column. Jas. qui plures auctoritates allegat in leg. Rem quæ nobis 3. column. num. 16. ff. de Acquir. posses. Et istam partem ego sequor, licet postea. Jas. in eodem leg. Rem quæ nobis 4. column. n. 19. dicat & 5. column. num. 20. ibi Rip. 5. column. num. 25. dicant magis communem opinionem esse in contrarium, imò quòd habeat locum in qui-

(b) Secus tamen, quando simpliciter actor probat aliquando possessionem fuisse penes eum, & nunc reperiri penes reum conventum, ut in quæstione proposita; quia tali casu cessat jus qualitatis, & extremum requisitum tam ex parte actoris quam rei conventi ut possit fundari iudicium inter eos & ferri sententia: quia fortè reus conventus, qui tunc reperitur possidere, habuit ex iusta aliqua causa quam ignoramus.